
C O N C L U S I O .

De vita regimine.

Pag. 162. l. 20. *Sensim igitur quaecunque mutationes facienda sunt.*] Hanc regulam perpetuo in honore & memoria servare debet medicus, & praesertim quando ex apta medendi ratione institutâ, pateat remedia sensim & lente actura, alterantia dicta, in usum necessario vocanda esse. His enim in exhibendis nunquam non devitanda est festinatio, quippe summâ cum curâ, diligentiaque ad singularem humorum crasis habendum est respectus, & ad contrariam sensim & quasi furtim deducendus est aeger; nam quemquem suo modulo metiri oportet, & officio suo turpissime deesset, iste medicus, qui hujusmodi morbidis, nisi cautè & gradatim, medicamenta directò specialia exhibere auderet.

Pag. ead. l. penult. *Commodissima est equitatio.*] Super insigni autem hac medendi ratione, illud porro monendum habeo; persaepe errasse medicos, perpetuam fere per mare per terras peregrinationem aegris, praesertim phthisicis, indiscriminatim imperando.

Hujusmodi enim exercitationes eo tantum valent, quo fibris corporis concussis, ita roboretur ejus habitus; vel ut congesta quaedam one-

P 3

rosa

rosa excutiantur, & expurgentur; vel ut excernenda omnia eum servent modum, quem ultra, citraque nequit consistere vera sanitas.

Ubicunque igitur acrimonia calida & putris humoribus inhaereat, atque correctioni & emendationi in primis sese ob viam offert, noxiae ut plurimum sunt pleraeque ex propositis hisce equitationibus & exercitationibus, ut ut laudatis; praesertim eae, quae aut corpus fatigent, aut ejus calorem adaugeant. Cum autem dura haec rerum & humorum conditio, prae caeteris omnibus aegris, phthisicos premit, medico perattenta cautio esset, ne hujusmodi morbidis quaelibet data sit occasio, quae, se specie recti deceptos, plus plusque in dies, in immedicabile malum inducat.

Pag. 163. l. 8. *Verriculis.*] Cum de rebus ipsis a nostro auctore traditis, non de verbis follicitus fui, sat admodum habeo, si de verriculo admoneam tantum, hoc vocabulum apud bonos Latinitatis scriptores nusquam eo in usu fuisse, quo ei hic tributum est. Sensus sane vocem quandam, qualis est scopula in verriculi locum substituendum postulare videtur. Quibusunque autem aegris talis adsit infirma veltudo, quam idoneae exercitationes fieri nequeant, illud insuper scire oportet, quod caeteris succedaneis longe praestantius & tutius remedium aut praesidium in parca semper, ac pro rei ratione nonnunquam curtâ vietus copia habendum est.

Pag.

Pag. 163. l. 23. *Aliquid tamen consuetudini dandum est.*] In alimentis enim exhibendis bene perpendendus est ventriculi & primarum viarum status, eaque licet minus efficacia, prae caeteris eligenda sunt, quae iis minime repugnant, exempli gratia, si mulier gulæ dedita, dapiumque appetens, caenaque desurgere dubiâ gaudens, se iteratis doloris colici paroxysmis obnoxiam reddiderit, non statim hujusmodi aegrotæ, acrimoniâ humorum calidâ haud raro & putri simul laboranti; cibis atque potibus maxime refrigerantibus aut succo limonum, vel acidis fortioribus admistis aggredienda est curatio, acriter etenim dolebit ventriculus; sed blandis & insulſis, laete aſinino, & ſimilibus, cum paucō aromate sociatis tractanda eſt; nec non & aquas Bathonienses pro varia ventriculi conſtitutione exhibere, ex indubio & incolumi uſu erit; denique ex his ſenſim ad magis refrigerantia progrediendum eſt. Neutiquam autem haec cautio neglectui eſt medico, ne novo & insanabili ut plurimum morbo exinde oborto, ipſe tanquam magni hujus mali aut forſan ipſius mortis citò futurae opifer, non caecis & vi- tiosis, ut promiscue & communiter fieri ſollet, ſed perſpicacibus & veriſſimis vicinorum ſuffragiis damnatus, tota vituperabitur urbe.

F I N I S.

